

12. Δικαιοσύνην *justitiam*, per hanc *justitiam*, alij (1) intel-  
 ligunt *justitiam personalem*, quæ personæ conveniat, sicut scribit  
*Walaus* ad h. l. per *δικαιοσύνην* Christus hic non designat *justi-*  
*tiam legalem*, sed ut ita loqui liceat, *personalem*, τὸ πρέπον *perso-*  
*sonæ*, & τὸ καθήκον *muneris*, à se & Johanne suscepti, & à se & Jo-  
 hanne exequendi æquum vid. esse, se baptizari, Johannem bapti-  
 zare, illud ob formam servi, à se susceptâ, istud, ob munus bap-  
 tizandi, Johanni demandatum. (2) Alij *justitiam honestariæ*, quæ  
 τὸ καλὸν *vocant*; per *justitiam*, scribit *D. Bertinus* ad h. l. *Ser-*  
*vator intelligit omne officium, quod à virò probò & justo exigitur.*  
 (3) Alij *justitiam legalem* intelligunt. (4) Alij *justitiam Evange-*  
*licam*, secundum quam Christus nobis factus *justitia* I. Cor. I. 30.  
 (5) Alij *justitiam officialem*, quam, tam Christo, quam Johanni,  
 cuilibet in suo genere, perficere, vel adimplere, conveniebat.  
 (6) Alij *justitiam divinæ voluntatis & constitutionis*, de qua Do-  
 minus ipse testatur *Psal. XL. 8. Ecce venio, voluntatem tuam fa-*  
*cio.* (7) Breviter dicimus, quod hic Christus *generaliter* loqua-  
 tur, & *omnem implere justitiam* dicatur, ideoque vel *omnes*,  
 vel *pleræq;* sententiæ pro *diversitate respectus* non inconvenien-  
 ter h. l. conjungi possunt.

## CAP. II.

### De Analyti Logico-Theologica,

I.

**A**Dductis iis, quæ circa textum ἀκριβῶς strictim, & su-  
 perficietenus monere volumus, nunc ad realia pergi-  
 mus, & *Logico-Theologicam Analysin* ad manus lumimus.  
 In hoc autem Oraculo de *Baptismo Christi principali my-*  
*steriorum abyssum*, & infinitum arcanorum divinorum nume-  
 rum cernimus, sed nec omnia, nec etiam præcipua, pro *materia*  
*vel dignitate, vel ubertate*, modo persequi licet, summa proinde  
 capita, saltem ὡς ἐν τύπῳ, breviter & ἐπιμεθόδως nunc produce-

C 2

re li